

- Beispielhafter Auszug aus der digitalisierten Fassung im Format PDF -

De Lunariis herbis, et rebus noctu Lucentibus, Commentariolus.

Conrad Gesner

Die Digitalisierung dieses Werkes erfolgte im Rahmen des Projektes BioLib (www.BioLib.de).

Die Bilddateien wurden im Rahmen des Projektes Virtuelle Fachbibliothek Biologie (ViFaBio) durch die [Universitätsbibliothek Johann Christian Senckenberg \(Frankfurt am Main\)](#) in das Format PDF überführt, archiviert und zugänglich gemacht.

CONRADI GESNERI
MEDICI,

De

Raris & admirandis Her-
bis, quæ, sive quòd noctu luce-
ant, sive alias ob causas, LUNARIÆ
nominantur, & obiter de aliis etiam
rebus, quæ in tenebris
lucent,

Commentariolus.

Editione hac secunda emen-
datior.

*Cum Iconibus quibusdam Her-
barum novis.*

HAFNIÆ,

Typis MATTHIÆ GODICCHENII,

Impensis PETRI HAUBOLDI,

Regiæ Academiae Bibliopolæ.

ANNO M. DC. LXIX.

N 10
33


TH. BARTHOLINUS

L. S.

CUM in eo esset Bibliopola no-
ster, ut Libros meos de Luce
Animantium emendatiores au-
ctioresque ex officinâ suâ profer-
ret, autor illi fui, ut, ob argu-
menti affinitatem, Conradi Ges-
neri Viri Clarissimi de Lunariis
Commentariolum, curiosum
prorsus, diuque Doctis defidera-
tum adjungeret, qui, Tiguri
Anno Chr. 1555. in formâ quartâ,
apud Gesneros fratres excusus,
inter Opera Gesneri haud inve-
nitur. Gratiam me isto consilio
à curiosis Naturæ lucentis fauto-
ribus initurum spero, etiam Au-
toris gratiâ, quo nemo plura à
Naturâ Naturæque amatoribus
meruit. Vale. Hafniæ XIV. De-
cembr. 1668.

Con.

IV. 2357



CONRADI GESNERI,
DE
LUNARIIS HERBIS,
ET REBUS NOCTU
LUCENTIBUS,
COMMENTARIOLUS.

*LUNARIAM, quam recentiores
monstrosè describunt, & noctu lucere
ajunt, herbam videri fictitiam.*

Monstrosâ Lunariæ descriptio-
ne, qualem in progressu affere-
mus, videri possunt aliqui homines
stultos & avaros deludere, ac va-
nâ spe lactatos ad inquirendum frustra inci-
tare voluisse. Sic Virgilius etiam in Palæmo-
ne Eclogâ tertiâ his versibus:

*Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus A-
pollo,*

Tres pateat Cæli spatium non amplius ulnas;

Grammaticis veluti crucem fixisse, in quâ se affiduè distorquerent, existimatur: quod ipse Cornificio, & aliis quibusdam Grammaticis respondit, cum anxie illi à Poëtâ perquirent, si quid fortè remotius subesset. Talis & Promethei herbæ in Argonauticis Apollonii descriptio est, natæ (ut nugatur) ex sanguine aquilæ illius, quæ Promethei jecur exedit; flore cubitali, (vel cubito à terrâ distante,) croceo, & geminis innixo caulibus, radice succo sanguineo manante. Scholiastes Poëtam hæc comminisci ait, nec ab ullo Rhizotomo talem describi stirpem.

Fieri posse, ut, quemadmodum inter cæteras res naturales quædam noctu tantùm lucent, ita etiam herbæ, quæquam nobis adhuc incognitæ, per noctem luceant.

Lucem quandam esse, quæ noctu dumtaxat luceat, non igneæ quidem illam naturæ, (neque enim diu durare posset,) sed mitioris cujusdam, & materiam, in qua est, non consumentis, in multis tum naturæ, tum artis operibus apparet. Illa quidem, quæ in sublimi aëre noctu aliquando relucent, si vera, si videantur tantùm, his annumeranda non sunt, cum vel igneâ vi consent, & eva-

& evanescant, alia subitò, alia paulatim: Vel lucem in se veram non habeant, sed radio- rum refractione duntaxat habere videantur. Placidæ verò illius mitisqve lucis, non igneæ, sed æthereæ potiùs, particulas quasdam continent fortassis & gemmæ quædam, & planta, & animalia, & nonnulla artis opera, ut dicemus.

Aristoteles libro 2. de anima cap. 7. Non omnia (inquit) quæ videntur, in lumine videntur, sed uniuscujusqve duntaxat proprius color. Nonnulla enim, cum in luce cerni non possint, in tenebris possunt, ut quæ ignea apparent, ac splendent. Ea quidem nomine communi carent, ut sunt fungus, cornu, piscium capita, squamæ & oculi. Sed nullius horum proprius color videtur, (*noctu cum lucent,*) & quam ob causam hæc visu usurpentur, alia ratio est. Hunc locum interpretans Ammonius, visibilium differentiam duplicem statuit. Genus primum colores nominat, qui, nisi interdiu, videri nequeant. Alterum nomine communi ait carere; posse autem appellari splendida. Horum rursus quædam ait parum & obscure splendere, ut sunt pygolampides, squamæ, & alia hujusmodi, & stellæ pleræqve; atqve hæc noctu

tantum conspectari, hoc est, splendorem eorum, non etiam colores. Brevior enim obscuriorque ipsorum lux est, quam quæ ad nostrum usque visum colorem etiam figuramque corporis transvehere possit. Alia verò splendidiora sunt, quæ nocte pariter & die conspiciuntur, ut Luna & stellæ quædam, præsertim Vesper terræ propior, & ignis. Cæterum Sol, qui omnia suo splendore excedit, nocte cum absit, videri non potest: sed neque per diem rectè, & ut cætera visibilia, tantam in eo lucem acie nostrâ non sustinente. Vel, ut Ammonius inquit, non propriè in die Sol videri dicitur, cum diem ipse pariat; neque in nocte & tenebris, quas, ubicunque est, abolet. Hæc ferè ille.

Quædam in lumine videntur, (inquit Hieronymus Savonarola,) ut colorata, & in tenebris, ut lucentia. Nam interdiu majus lumen offuscat minus, & tum videntur solum ut colorata; in nocte autem ut lucentia solum, cujusmodi sunt parva animalia, quæ noctilucæ vocantur. Ignis verò tam in tenebris, quam in luce eodem modo videtur, quia lumen ejus est efficax ad movendum diaphanum.

Sofigenes Alexandri Præceptor tertio volumine de visu, [*referente Cælio Rhodigino Lætionum Antiquarum lib. 15. cap. 5.*] rationem afferre conatus est, quamobrem aliqua collucere in tenebris videantur. Flammulenta (inquit) hæc quadantenus naturam ætheris & quinti elementi participant, eâ cognatione fieri, ut admotum sibi aërem, aut perspicuum aliud corpus illuminent. Quòd autem id maximè noctibus faciant, rationem esse, quia tum majus lumen absit. Alioqui evenire interdum, ut exiguum eorum lumen quasi exolescat, & offundatur in magno. Noctu ergo cum refulgent, aërem proximum & circumfusum leviter sublustrant, non ita, ut alia item possent videri, sed ut sola se vendicent à tenebris. Atque hoc facit exilitas portionis ejus, è qua proficiscitur manatque lumen. Nam & ipse quoque ignis, quamvis splendorem suum latius & diffusius mittat, adeò ut asserat etiam alia; tamen si remotior sit, caligant oculi in cætera, ipse ad conspectum sui vix sufficit.

Lapilli, noctu lucentis instar flammæ, quem in Heracleidis mulieris Tarentinæ sinum ciconia dejecerit, beneficii mercedem, quòd crure fracto ex lapsu anno superiore ab eâ cu-

rata fuisset, meminit Ælianus de animalibus lib. 8. cap. 21.

Solaris est lapis, qui Solis oculus appellatur, figuram habens pupillæ, ex qua lumen emicat; item carbunculus nocte rutilans, ut scribit Marsilius Ficinus. Lucerna piscis marinus, qui & milvus, nomen tulit, quod noctu luceat. Ego ejus mortui etiam oculos noctu in tenebris lucere observavi. Recentiores quidam harengæ etiam vulgò dicti piscis oculos noctu lucidos esse tradunt. Sed hoc pluribus forsan piscibus commune est. Oppianus lib. 2. Halieutic. de delphinis:

— Φλογίεν τε σέλας πέμπουσιν ὀπωπαῖς
 Ὀξύτωλον· καὶ πῆ τι ὑποπλήσσονται χα-
 ράδρας,
 καὶ πῆ ὑπὸ ψαμάθοις εἰλημένον ἔδρακον
 ἰχθῦν.

Latè patet id piscium genus, quod à cute noctu splendente Græci vocant σελάχη. Eorum alii longi sunt, ut mustelli & canes; alii verò lati.

Quòd animalium nonnullorum oculi noctu mirè sint efficaces; interdiu autem hebetiores, id obvenire Plutarchus arbitratur humoris siccitate ac tenuitate, non ferentis

τὴν πρὸς τὸ φῶς σύγκρασιν. Cælius Rhodiginus.

ginus. Ex iis sanè, quæ noctu etiam cernunt, animalibus, nonnullorum oculi noctu lucent ac micant, ceu felium; quòd in iis fortè talis quidam humor sit, qualis in vermibus noctilucis, cujus gratiâ videre possunt, non tamen remota, sed proxima quæq; tantùm. Atq; hinc conjicimus, interdum quidem videndi facultatis rationem in omnibus eandem esse, imaginibus rerum per lumen & diaphanum externum ad oculos relatis, noctu verò non eandem; quum illa, quæ noctu vident, quorumq; oculi lucent, non foris tum recipiant lumen, sed ex sese emittant, ut visibilia actu videantur. Cernunt autem noctu, quæ noctuæ dicuntur, & similes nocturnæ aves; & in quadrupedum genere lupi, capræ, feles.

Volucris est, rarò tamen, in Hercyniâ apparens. Sunt, qui se vidisse jactent. Pennæ ejus noctu, ut ignis, lucent. Meminit Plinius, Pictam vidit Jo. Aventinus. Nos plura de eâ in Avium Historiâ.

De nocturno luporum visu meminit Ælianus de animalib. lib. 10. cap. 26. Hyænam quoq; noctu cernere, non desunt authores: & vulgò equi, quorum glauci (vitrosi nostri dicunt,) fuerint oculi, nocturnâ insignes visus acie creduntur. Capræ oculos in tene-

bris splendere, lucemq; jaculari, author est Plinius. Conditos in homine oculos (inquit idem) clarissimè cernere putant, sicut in colore caprinos. Gaza ex Aristotele, quem ille *αἰγῶπῶν* colorem dixerat, caprinum transtulit: vocat eundem *ὀνῶπῶν* in Physiognomicis. Nos de his, aliisque coloribus plura in Libello, quem privatim de coloribus meditatur.

Pygolampis, quam Latinorum aliqui cindelam vel nitedulam vocant, Itali bissola fuogola vel lusarvola, genus est insecti vaginipennis exigui, ut audio, (neq; enim videre memini,) quod noctu lucet. Apud nos verò vermis est, erucæ similis, qui eadem parte noctu fulgorem tam clarum emittit, ut ad illum etiam literæ majusculæ legi possint.

Hæc igitur naturæ sunt opera. Superest, ut arte etiam splendores nocturnos ex hujusmodi igne æthereo fieri posse ostendatur; quod recitandâ historiâ præstabo. Patavii in Italiâ nostro seculo repertum est monumentum vetustissimum, nempe urna fictilis cum inscriptione hujus Hexastichi:

*Plutoni sacrum munus ne attingite fures,
 Ignotum est vobis hoc, quod in urna latet.
 Namq; elementa gravi clausit digesta labore
 Vase sub hoc modico Maximus Olibius.*

Adsit

... und die nächsten 10 Seiten ...
... and the next 10 pages ...

venitur fortè hic lapis non tam facilè inter-
 diu, quàm nocte mediâ & plenâ, *νυκτὸς μέ-*
σης, ad imaginem Lunæ, quam reddit, *ἐν τῇ*
τῆς Σελήνης παραυγήσῃ aut *παραυγᾶσῃ* nam
αὐγῆν & αὐγάζειν splendere est. Res gypso
 cognata lapis specularis est; quod nomen,
 quia perspicui potest, & rei, quæ ab ejus ter-
 go est, imaginem reddit, ipsi à speculo impo-
 situm. E Græcis quidam *σεληνίτην* appel-
 lant, quòd plenâ nocte ad incrementum Lu-
 næ soleat inveniri. Vel quòd imaginem Lu-
 næ, quam, quia pellucet, noctu concipit, in
 dies singulos crescentis minuentisque numero
 reddat. Alii *ἄφροσέληνον* vocant, quòd mul-
 tis persuasum esset, ut absurdissima quæque
 vulgo persuaderi possunt, Lunæ esse spumam.
 Ab Aëtio, quòd transluceat, *Διαφανὲς* ap-
 pellatur, & *σφεκλάριον* vocabulo Latino,
 sed corrupto. Ex Germanis quidam huic la-
 pidi nomen posuerunt glaciei, (*Unser Trouwen*
Uß /) quòd ad eam candidæ crustæ magnam
 similitudinem habeant. Quam rem cum Ju-
 lianus Cæsar in glacie fluvii Sequanæ animad-
 vertisset, eam similem esse scribit lapidi Phry-
 gio; sic vocat specularem, quòd in Phrygiâ
 reperiat. Ex hoc, quoniam perspicuus est,

Senecæ memoriâ cœperunt fieri specularia, quæ fenestris inserta aërem excluderent, transmitterent lumen. Ge. Agricola. [*Est & alius lapis Phrygius, gleba pumicosa, quam aliqui pro lycurio vendunt.*]

De alio genere Lunaria.

Ulysses Aldrovandus aliam quoque herbam ad nos misit, & à nonnullis Lunariam appellari scripsit, ab aliquibus alysson Dioscoridis existimatam. Folia jam ob ariditatem perierant; conjicere tamen potui ex aridis & corrugatis, ea circa summum caulem duos aut tres digitos longa esse, unum lata, lævi ambitu, sine pediculo. Arida perquam friabilia erant, & insipida ferè. Caulis lignosus, mandenti ferè foetidus. Herba tota asperiuscula & albicans. Siliquæ latæ & compressæ, ut in Lunariâ superiore ferè, à quarum similitudine aliquâ fieri potest, ut nomen huic herbæ idem impositum sit. Singulæ in summo mucronem habent exiguum; membrana in medio similiter candida conceptacula utrinque singula distingvit, in quorum singulis femina ferè octona continentur, tenuia, latiuscula, in medio subruffa, ambitu foliato candicante. Siliquæ deinceps circiter quindecim summum

cau-

caulem ambiunt, petiolis innixæ brevissimis, erectæq;. Sunt, qui pæoniam marem Lunariam majorem appellant Mompelii, ut Conradus Forerus Vitodurensis, eruditus ac diligens Medicus, singularis amicus meus, mihi retulit. Hanc in Averniæ montibus reperiri ait, foliis, siliquis, seminibus ac radicibus pæoniæ foeminae pulchrè congruentem. Scio, Hieron. Tragum, &, qui eum hæc in re sequitur, Dodonæum herbam, cujus radix vulgò hæctenus nostris pharmacopolis pro dictamno in usu fuit, pæoniam marem fecisse; quibus ego nequaquam assenserim. Veram quidem pæoniam marem in montibus prope Comum & Larium lacum nasci audio. Hanc æstate superiore vidi Lindaviæ in clarissimi mercatoris, & optimi Viri Matthiæ Curtii longè instructissimo omni plantarum genere horto. Folia terna binave, quantum memini, juglandium similia sunt, grana in siliquis rubent.

De Lunariâ, quam petræam cognominare licebit.

Lunaria minor (inquit Fuchsius, qui iconem etiam dedit,) rotundo est caule, cui folia utrinq; septem annexa cordis ferè humani formam habent; in summitate caulis

semen betæ simile profert. Nascitur in montibus. Reperitur in fine Maji & Junii, dein statim evanescit. Terrestris quid præ se fert gustata, atq; parum astringit, ut hinc mediocriter frigidam & siccam esse, verisimile sit. Vis foliorum ejus haud dubiè vulneribus efficax; glutinandi namq; facultate prædita est. Ad suppressivos menses, & album muliebri profluvium mirificè conferre hanc herbam, experientiâ constat. Hæc ille, aliud hujus herbæ nomen hæctenus sibi cognitum negans. Fingit autem Germanicum, imitatione Latini, *Hein Montraut* / ut *Tragus* à foliorum similitudine, quæ ad rutam accedunt, *Montrauten*. Nos aliquando in petrosis Sabaudia montibus herbulam hanc invenimus, colore pallidam, foliis utrinq; ut in trichomane digestis, unico tantùm ramulo foliato, & altero quasi lingua, cui hærent racematim veluti semina quædam rotunda, (sterilia, ut conjicio; non enim solida sunt, sed luteo polline plena,) colore gilvo, per summum in spiram retorta, quæ fortè per maturitatem explicatur. Et forsitan spira illa in causâ est, ut à Lunâ sit impositum nomen, quòd instar Lunæ à plenilunio crescentis incurvetur, sicut in filicum generibus, & phyllitide, cum folia primùm crescunt.

Radix

Radix simplex descendit, pluribus in imo adnatis. Gustus è dulci astringit. Pastores tauram vocabant, vel toram, quòd vaccæ hâc herbâ degustatâ ad libidinem moveantur, & requirant taurum. Sed alia est tora venenata, de quâ inferiùs mentio nobis fiet; dora fortè dicenda potiùs, quòd ejus succo dorata & sagittæ inficiantur. Vaccas quidem ad libidinem incitari sefelis quodam genere gustato, cujus semen pharmacopolæ nostri sileris montani nomine vendunt, pastores Suitenses apud nos affirmant, & inde tauram (Sterlefrut) appellant. Porrò quòd Lunariam minorem, de quâ scribimus, cum Lunâ augeri & decrescere quidam putant, ita ut, quot diebus supra terram Luna fuerit, totidem incisuris dissectum hujus herbæ folium conspiciatur, quis non fabulosum existimet, non minùs quàm quod de fibrarum in murium jecusculis numero traditur? Lunaria hæc minor satis frequens est circa Clavenam, insignem Rætiae pagum, ubi rusticos jumentorum ulcera hâc herbâ curare ajunt. Sunt in Italiâ, qui hanc herbulam epipactin vocitent, quæ & elleborine dicitur. Ea Dioscoridi lib. 4. c. 104. herba parva est, fruticosa, minimis foliolis, jocinoris vitiis utilis, & contra venena pota. Nec plura

apud veteres reperiri puto de epipactide. Nam Ægineta nomen tantum, & vires ex Dioscoride repetiit, ut nihil inde certum ad herbam hanc inveniendam aut demonstrandam haberi possit, ac præstet de eâ tacere, quàm falsum dicere. Sed Græca verba Dioscoridis audiamus: Ἐπιπακτὶς, οἱ δὲ ἐλεβορίην (καλεῖσιν,) οἱ δὲ βόρειον, (vox fortè mutila pro ἐλεβορίον, ut additur inter notha,) θαμνίσκος ἐστὶ μικρὸς, ἐλάχιστε ἔχων φυλλάρια, (aliàs φύλλα,) πρὸς τὰ θανάσιμα δὲ πίνεται, καὶ πρὸς τὰ ἐν ἥπατι πάθη. θαμνίσκον interpretor herbam fruticosam vel fruticantem, nimirum ramulis & surculis pluribus se extendentem; non autem suffruticem lignosi generis, ut sunt thymus, hyssopus, serpillum, & alii, qui & ipsi tamen rectè θαμνίσκοι dicuntur, imò rectiùs, & magis propriè. Et capite proximè sequenti fumariam βοτάνιον θαμνοειδὲς meliùs, quàm θαμνίσκον dixit, quoniam lignosi in se nihil habet. Hæc, si argumentum & brevitatis libelli ferret, copiosius veterum Græciæ Scriptorum & Grammaticorum testimoniis astruerem. Meminit ejus etiam Plinius lib. 13. cap. 20. tanquam ignoti sibi Italiæq; aut ne nascent-

nascentis quidem illic, inter arbores & frutices peregrinos ineptissimè. In Asiâ (inquit) & Græciâ nascuntur frutices, epicactis (*lego epicactis,*) quem alii embolinen (*lego elleborinen*) vocant; parvis foliis, quæ pota contra venena profunt, sicut herices (*lego erices*) contra serpentes. Et in quo nascitur granum Gnidium, &c. Miror autem, thymelæam suffruticem, qui granum Gnidium gignit, familiarissimum Medicis, quem in Galliâ sæpe vidi, & in Italiâ quoque nasci frequentem scio, ignorasse Plinium; nam si novisset, non debuisset peregrinam facere. In hoc igitur cum errarit, epicactidem quoque peregrinam esse, nemo ex ejus authoritate convicerit; sed neque fruticem, cum Dioscorides non modò *ἱαμνίσκου* diminutivâ voce dicere voluerit, sed *μικρὸν ἱαμνίσκου*, ut & folia ejus non modò *φυλλάκια*, sed insuper *ἐλάχιστα*. Sed rursus libro 27. cap. 9. commodius veriùsq; Plinius, inter herbas: Epicactis (*epicactis lego,*) ab aliis elleborine vocatur, parva herba, exiguis foliis, jocinoris vitiis utilissima, & contra venena pota. Gallus quidam, qui Dioscoridem nuper cum figuris ac suis scholiis Lugduni in officinâ Arnolleti curavit excudi, non expresso nomine suo, epicactidem scribit à Plinio ellebo-

elleborinam dici, quòd elleborum nigrum referat. Quod quomodocunqve accipiatur, (Viri eruditi pace dixerim,) falsum est. Nam neqve Plinius elleborinam vocavit primus, aut præ aliis, sed ante eum Græci, è quibus transtulit: neqve vel ipse, vel alius quisquam veterum, epipactidis folia elleboro nigro comparavit; quomodo enim illis *φυλλάρια ἐλάχισα* conferri possent? Scio, Matthiolum herbæ cujusdam iconem dare, cujus folia non absimilia inquit esse ellebori nigri foliis. Sed hunc quoqve eâdem ratione, quâ Gal- lum illum, errâsse dicemus. Adde, quòd neqve fruticosa est, quam pingit, herba, neqve ullum singulare ex eâ ad jecur, vel contra venena remedium affert. Nam si vis eadem constaret, stirpem unam pro alterâ accipi, tolerabilius esset. Similis illorum error est, qui consiliginem, elleboro nigro & viribus & facie cognatam, & aliorum, qui aliam ellebori nigri speciem, (cui folia plerunqve bifida aut trifida,) elleborinen appellant. Authores certè, cùm elleborum simpliciter nominant, de albo sentiunt. Unde erroris occasionem cepit Dodonæus, qui herbam quandam singulari caule, cubitali ferè, foliis elleboro albo non dissimilem, quam aliqui

alisma

alissima seu damafonion esse putant, fecit epipactidem. Adeò illi unum vocabulum potius, quàm descriptionem & vires respexerunt. Matthiolus, ut reprehendi minùs posset, *Γαμνίσκον* herbam transtulit, ne quis τὸ *Γαμνοειδές*, id est, fruticosam in eâ, quam ipse depingit, naturam desideraret. Elleborine quidem dici potuit à facultate vomitoriâ, quam fortè communem cum elleboro habet; nam & sesamoides magnum in Anticyrâ elleborum vocant propter similem purgandi vim. Prodest autem commotus vomitus adversus venena recenter sumpta; & antidoti quædam apud Galenum vomitoriæ leguntur, quæ venenis resistunt. Idem Gallus ille innominatus, de quo suprâ dixi, in secundâ Dioscoridis sui editione minimam gentianæ speciem, sed floribus maximis, cœruleis ferè, & in medio eorum calathis coloribus variis, tanquam iris, insignem, quæ ab excellenti amaritudine nomen apud nostros invenit, elleborinam interpretatur. Quamquam verò exigua ea herbula est, ut quæ in montium jugis, ubi parum suppetit alimenti, siccis & frigidis locis nascatur, folia tamen ad oleæ magnitudinem, sæpe duplo, aut amplius majora habet, ut *Φυλλάρια ἐλάχιστα* dici non mereantur.

Venenis quidem eam egregiè resistere, ut & reliquæ gentianæ, inter quas amaritudine excellit, & jecori ex obstructione laboranti succurrere non dubitârim. Jam quia hæcenus, quid non sit epipactis, adversus alios dixi; etsi mihi, quid sit, non satis constet, conjecturam tamen meam proponam, ejusmodi saltem, quæ nusquam in illis, de quibus alios ipse accusavi, reprehendi possit, ut mihi persuadeo. Ante annos XV. aut circiter, cum Anglus quidam ex Italiâ rediens me salutaret, (Turnerus is fuerit, Vir excellentis tum in re Medicâ, tum alius plerisque disciplinis doctrinæ, an alius quispiam, vix satis memini,) inter alias rariorum stirpium icones, quas depingendas mihi commodabat, elleborinem quoque ostendebat pictam, herbulam fruticosam, pluribus ab unâ radice cauliculis, quinque ferè digitorum proceritate erectis, foliolis perexiguis, binis per intervalla, (ejusmodi, ut ex aspectu genus quoddam asinæ exiguum videretur,) vasculis in summo exiguis, rotundis tanquam lini. Hanc ajebat crescere in pratis siccis, vel clivis montium, inutili radice, subamarâ, purgare utrinque, & in Angliâ vulgò usurpari à rusticis. Eandem apud nos etiam postea repertam mihi puto, non infrequentem; sapore
nitro-